

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 6503

**Autre(s) référence(s)** : Bates 158

**Auteur(s)** : Herluin de Conteville [particulier]

**Bénéficiaire(s)** : Fatouville-Grestain, Notre-Dame de Grestain (abbaye)

**Genre d'acte** : notice

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1082

**Action juridique** : fondation

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Notice relatant la fondation de l'abbaye Notre-Dame de Grestain par Herluin et les premières donations à cet abbaye, souscrite par Guillume [Ier], roi d'Angleterre.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Bates David, *Regesta Regum Anglo-Normannorum*, the Acta of William I (1066-1087), Oxford, Clarendon Press, 1998, n° 158, p. 517-524.
- b. Bates David, Gazeau Véronique, *L'abbaye de Grestain et la famille d'Herluin de Conteville*, *Annales de Normandie* n°40, 1, mars 1990, p. 24-30.

## Dissertation critique

1082, automne : datation proposée par D. Bates (voir BATES, *Regesta Regum Anglo-Normannorum*, p. 519-520).

Texte établi d'après a

In nomine sancte et individue Trinitatis. Anno ab incarnatione Domini millesimo quinquagesimo, regnante in Normannia Guillelmo Roberti marchionis filio, qui postea Dei gratia rex Anglorum effectus fuit, quidam nobilis homo, Herluinus nomine, cernens terrena redigi ad interitum, construxit ecclesiam in honore sancte Marie ad Dei servitium faciendum in quodam suo predio nomine Gresteno, pro anima Guillelmi Anglorum regis et Normannorum principis et regine Mathildis et suorum filiorum et antecessorum, et pro sua anima et sue uxoris Herleve, et pro anima Roberti comitis de Moritonio eius filii et Mathildis eius uxoris et filiorum, et prout voluit de possessionibus suis delegavit, annuente prenominate principe.

Dedit siquidem Guillelmus rex Anglorum et dux Normannorum Deo et sancte Marie Grestensi in Anglia unam villam nomine Pentonam, et quicquid pertinet ad eam, tam in terra quam in pratis et in sylvis et in consuetudinibus et aliis ville pertinentibus, et ita honorifice in eleemosyna sicuti abbatia sancti Stephani Cadomensis habet ea que rex ei dedit ; et unum plenum villanum in Comitavilla, qui manet apud Folamaram ; et insuper dedit omnes consuetudines theloneorum et passagiorum que sibi pertinebant quietas in toto dominio sancte Marie Grestensi, quocumque deferantur vel ducantur tam in Anglica quam in Normannia, sicuti ecclesia sancti Stephani Cadomensis habet ubique sua dominia quieta.

Et ipse Herluinus dedit Deo et sancte Marie apud Grestanum triginta agros terre, et bordarios et piscatores quos ibi habebat ; et sylvam Normare que est proxima monasterio ; et partem alterius sylve in Monte Sancti Georgii

quam ipse ibi habebat ; et septem modios annone de molendinis Sancte Marie Ecclesie ; apud Bullivillam duos villanos ; apud Tilleium terram unius carruce et unum equitem et unum villanum et tres bordarios ; apud Sanctam Scholasticam triginta agros terre et dimidium ipsius ecclesie, cum tertia garba que pertinet ad ipsam medietatem ; et dimidium ecclesie sancti Albini de Burelis, cum tertia garba et sepultura que ad eam pertinet, concessu Ricardi de Sancta Scholastica et concessu Guillelmi Anglorum regis et Normannorum principis ; et apud villam que vocatur Calumnia totam ecclesiam ipsius ville, cum tertia garba decime que ad eam pertinet ; et centum agros terre quos tenuit Guillelmus filius Maingoti in eadem villa ; et totam decimam illorum centum agrorum ; et totam decimam de terra Warini filii Arnulphi in eadem villa ; et totam decimam de terra Tustini Trenelini similiter in eadem villa ; et hec fuere de terra Tancuardi et data ecclesia concessu comitis Rogerii de Montegomerico ; et apud Mulivillam medietatem ipsius ville, et in ecclesia, et in terra, et in aqua, et in aliis ville pertinentibus concessu Roberti comitis de Moretonio ; et apud Brittevillam totam decimam de terra Roberti Affectati concessu Odonis Baiocensis episcopi ; apud Watlevillam decimam unius carruce ; apud Martinivillam decimam unius medietarii concessu Rogerii de Bellomonte et Roberti eius filii ; apud Ructebec unum bordarium cum parva sylvula ; apud Comitum villam unum agrum prati ; apud Bervillam mariscos qui vocati fuerunt Apulia. Hec omnia dedit Herluinus sancte Marie Grestensi, concessu Guillelmi Anglorum regis et Normannorum ducis. Robertus vero comes Moretoniensis eius filius dedit supradicte ecclesie medietatem consuetudinum quas habebat in Sequana de Chilleboue usque ad Pillolam Rocham ; et medietatem mercati Fiscefluctus ; et medietatem salinarum Fiscefluctus ; et omnes burgenses et bordarios quos habebat in Joninis, et in Fiscefluctus, in Cromamfluctu, in Hunifluctu ; et decimam feriarum quas habet inter Rillam et Tolcam ; et quod habet in molendino Fiscefluctus.

De Radulpho vero filio Tustini emit Robertus comes Moretoniensis sex libras quicquid terre habebat in Grestino et in Carrebecco, cum uno bordario. Huius rei testes fuerunt Godefredus clericus, Alures vicecomes, Berengerius, Tustinus, Radulphus Pertica, Hugo de Bullivilla, Radulphus Burdo, et hoc concessit sancte Marie.

Et Radulphus Cardon habuit unum palefridum quadraginta solidorum a Rainaldo monacho, qui tunc preerat ecclesie, propter partem ecclesie Carrebeccensis, et propter decimam sue terre, et bordariorum suorum Carrebeccensium, et propter prata que habebat in Carrabecco, supradictis testibus, ad opus sancte Marie. Et insuper ipsemet dedit ecclesie quinque agros terre propter gratiam comitis, et pro eo quod veniam impetravit ei comes a rege quem offenderat. Accepit tamen a comite Roberto Moretoniensi viginti solidos, supradictis testibus, concessu Guillelmi Bertranni. Radulphus etiam Peluchet et Radulphus Cardon et Radulphus Hugonis filius et Rogerius frater eius calumniabantur in ecclesia et in terra, et calumniam quam ibi mittebant dimiserunt quietam sancte Marie Grestensi, et inde acceperunt a comite Roberto Moretoniensi quatuor libras et XIII solidos, testibus Guillelmo Paganello, et Theoderico de Altaribus, et Normanno fratre eius, et Radulpho Vallis torte, et Godefrico clerico, et Radulpho Burdone, et Radulpho Pertica, et hoc concessu Hugonis de Monteforti.

Et adhuc dedit ipse comes Robertus Moretoniensis terram Gundranni et dimidium molendinorum in Carrebecco, concessu Hugonis Luxoviensis episcopi.

Robertus autem filius Ricardi de Carrebecco dedit sancte Marie pro anima patris sui et matris unum agrum terre in Veteri monte et alvetum quod habebat in Grestino ; et pro hereditate sua de Sancte Marie ecclesia quam comes ei reddidit, dedit sancte Marie quicquid habebat in pratis Carrabecci. Et Robertus comes Moretoniensis dedit eidem ecclesie servitium terre Godefridi clerici filii Richardi de Carrebecco. Et ista data fuerunt sancte Marie concessu Rogerii comerici.

Et ipse comes Robertus Moretoniensis dedit insuper tres modios annone in molendino comitis ; apud Ductum Promi terram unius carruce, et unum villanum, et duos censarios, et unam sylvam, et tres modios annone in molendinis Tustini ville, et octo agros prati in Grimoldivilla ; apud Fontanam terram unius carruce, et unum villanum, et duos bordarios ; in hac autem terra Fiscaniensis monachi antea habebant molturam et decimam et consuetudines, sed pro hiis omnibus comes Robertus Moretoniensis concessit eis haberi molturam Heldechiniville que solita erat venire ad molendinum de Fossa ; apud Uldon mariscum terram duarum carrucarum, et tres equites, et omnes consuetudines et bernagium que rex Anglorum et dux Normannorum ibi habebat, concessit ecclesie quieta sicut ecclesia sancti Stephani Cadomensis sua habebat quieta ; apud Vivarium, terram duarum carrucarum, et unum molendinum, et unam sylvam, et tres cabellarios ; apud Tigervillam medietatem totius ville, in ecclesia, et in terra, et in aqua, et in pratis, et in consuetudinibus, et aliis ville pertinentibus ; apud Englescivillam decimam quam habuit Senfredus presbyter et tres agros terre ; apud Olulphivillam decimam molendinorum quam habuit supradictus presbyter et tres agros terre.

Et ultra mare dedit duas villas, Gratingas et Bretecham in vicecomitatu Suffolc ; et hoc quod habebat in Salsetona in vicecomitatu Cantebrugi ; et decimas de Cambiis ; et hoc concessu Guillelmi Anglorum regis et Normannorum ducis.

Et Fredesendis mulier domini Herluini dedit supradicte ecclesie suam dotem quam Herluinus ei dedit in Novoburgo et in Cantulupi et in Hunlavilla, concessu Roberti de Moretonio. Et Odo Baiocensis episcopus dedit eidem ecclesie sex bordarios in Fiscefluctu et in Cromamfluctu, et viginti ad salem faciendum. Radulphus quoque Herluini filius dedit decimam suorum molendinorum de Cornuvilla, concessu Hugonis de Monteforti, et decimam molendini de Martinivilla, et decimam pecorum et caseorum et lanarum. Huius rei testes fuerunt Walterius Sylvanus, et Odo forestarius, et Guillelmus de Fastuvilla, et Hugo filius eius.

Radulphus Sancti Humeri, quando effectus fuit monachus, dedit eidem ecclesie sancte Marie apud Maram terram unius carruce et duodecim bordarios et duas salinas, concessu Herluini. Rodulphus Boliville, quando effectus fuit monachus, dedit eidem ecclesie unum molendinum apud vivarium Trigeville et decimam alterius molendini quod tenet filius eius. Gaufredus Luxoviensis canonicus filius Guillelmi Trigeville dedit predicte ecclesie duos agros terre in Trigevilla, concessu Roberti comitis Moretoniensis.

Et adhuc dedit supradicte ecclesie tres villas in Anglia, scilicet Wilmitronam quindecim hydrarum terre et quicquid ad eam pertinet, tam in sylvis quam in pratis et in aliis ville pertinentibus ; in Conoc decem hydrarum terre et quicquid ad eam pertinet ; in Ferlis tres hydras terre et in Berdingela duas hydrias terre et ecclesiam eiusdem ville. Pro excambio Cenetune decem solidos quos reddebat comitisse quando Mathildis comitissa Moritoniensis de eo tenuit in vita. Et in Londonia dedit eidem ecclesie unam domum quam de eo tenuit supradicta comitissa. Et in Pevenessello dedit ei domum Ingelerii et quicquid ad eam pertinet cum omni consuetudine.

Et Rogerius comes de Montegomerico dedit in Anglia Mathildi sue filie comitisse Moritoniensi triginta et duas hydrias terre, scilicet apud Hermitonam octo hydrias terre, et apud Mersam undecim hydrias, et apud Wildefordam sex hydrias, et apud Langabergam duas hydrias, et apud Tomstonam tres hydrias et dimidiam, et apud Danedunam tres virgatas ; et has tenuit de patre in Anglia in vita sua. Post mortem vero eius dedit supradictus comes Domino et sancte Marie Grestensi easdem triginta et duas hydrias pro anima Guillelmi Anglorum regis, et pro sua anima, et Mathildis sue filie, annuente Anglorum rege et Normanorum principe. Et has triginta et duas hydrias terre tenuit Aliuredus pincerna de comitissa in sua vita, reddendo ei quindecim libras per annum ; modo vero tenet de sancta Maria Grestensi, et reddit ei per annum quindecim libras Anglorum nummorum.

Et pro excambio Pendelae quam comes dedit sancte Marie quam comitissa Moritonii de rege tenuit, dedit Robertus comes Moretoniensis supradicte ecclesie medietatem mercati Fiscefluctus et medietatem salinarum quam retinuerat, et totam terram Fiscefluctus. Radulphus Vallistorta dedit supradicte ecclesie in Anglia unam mansionem nomine Nortonam juxta Montem acutum post mortem eius, concessu Roberti comitis de Moretonio, et iam inde habet ecclesia duas partes decime.

Signum Willelmus rex Anglorum. + Rogerius comes. + Rogerius de Bellomonte. + Willelmus archiepiscopus. + Robertus comes Moretoniensis. + Odo Baiocensis episcopi. + Robertus comes Normannorum.